



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Dasius Mart. 20. Novembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

726 VITÆ SANCTORUM. 20. Nov.
chriora sibi ipsa è cælo nevit. Interea
apud Deum omnia potuit, & matrem
exemit è piacularibus flammis, juvenem
verò nuper ab impuris ignibus ardentem
sanctioribus cæli amoribus tantum non
emori fuit. Morienti ut aliàs sæpè Chri-
stus adstitit, & accinuère Cælites avicu-
lam induti. Bonis igitur avibus è vitâ
abiit. *Ex Iacobo Montano.*

*Si desideras Deum videre sublimem,
humilem prius IESUM videre curato: in-
tuere prius exaltatum serpentem in deserto,
si videre desideras Regem in solio residen-
tem. Ista te humiliet visio, ut illa exaltet
humiliatum: reprimat ista tumorem tuum,
ut illarepleat desiderium tuum. S. Bern.
serm. i. de verb. Isaia.*

S. DASIVS MART.
20. Novembris.

ID quod palàm hodie, & sine larvâ
dæmon facit, hoc jam olim fecit Sa-
turnum mentitus. Voraverat hic plus
quàm inhumanâ ingluvie filios suos,
& viscera sua in viscera crudeli dente
congresserat. Scilicet divinitatem hæc im-
pietas meruit, cui deinceps orbis pue-
rorum sanguine ac morte litaret. Et
tenuit hic mos non unam ætatem, atque
Christiana sæcula etiam infamiâ suâ as-
perxit. Ira Dorostorum urbs scelere, quod
nec, qui alluit illam, Ister satis eluet,
annis

annis singulis ipsum juventæ florem principemque infando sacrificio immolabat. Ut verò eò pulchrius hoc adornaret, xxx. omnino dies omnibus deliciis victimam infelicem saginavit, utque splendidius periret, purpura auroque induit, sic inter risus potius quam gemitus morituram. Atque hæc fors cum **DASTUM** formæ omnis compendium nominasset, invitatus scilicet ad patria sacra, palam detrectavit non mortem, sed causam mortis. Nam qui Saturno noluit, rectè Christo victima procubuit. Exhorrescitis, scio, parentes infanda hæc sacra: at quid aliud paratis, quam orco victimam, cum filios voluptatibus frangitis, vestium luxu corrumpitis, & in patriæ conspectu indulgenti amplexu perimitis, ipsissimi & heu! inter medios Christianos, Saturni? Quàm rectius, filios Christo, cum hic parvulos ad se vocat, non negaretis? *Ex Menais & Menolog.*

Homoredi ad Deum sic amatus à Deo, & ad illius gloriam da totum te, qui se totum propter te ad suam deduxit injuriam: & voca patrem fidens, quem tanto amore tuum probas, sentis, intelligis esse genitorem. S. Pet. Chryl. serm. 70.